

DE  
FEBRIS INTERMITTENTIS  
INDOLE ET CURATIONE,  
GUM  
OBSERVATIONE OCTANAE AD-  
IUNCTA.

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILIELMA  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE OBTINENDIS  
DIE I. M. IUNII A. MDCCCXXXI.  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENSURUS EST  
AUCTOR  
FRIDERICUS GUILIELM. PIEPER,  
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

J. BECKERS, MED. ET CHIR. CAND.

L. MARX, MED. ET CHIR. CAND.

J. STRIPPELHOFF, MED. ET CHIR. CAND.

SD 66.

BEROLINI.

IS FRATRUM UNGER.

146

SD66/146



Beschafft aus Mitteln der  
Stiftung Volkswagenwerk

Sachsenburgische Bibliothek  
Frankfurt a. Main

70/213 x 1

FRATRI CARISSIMO

**PHILIPPO ANT. PIEPER,**

MED. ET CHIR. DOCTORI

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

---

„Displicet illa, uti nunc est, ventosa loquacitas, quae sub amplo verborum volumine nil solidi tenet: Displicet illa opinionum vertigo, qua ars laborat, ubi hypothesis hypothesisin trudit.”

Semper erat in deliciis meis, operibus magni Maximiliani Stoll dedicare, studium accuratius. Saepe attrahebar dictione egregia viri egregii et saepe phrasin illam proëmit operis illius de cognoscendis febribus recitavi mihi. Sed nunquam sensatione altiore, quam cum ausus eram, dissertationis huius lineamenta mandare chartae. Perspicuum mihi erat, omnes cogitationes meas, omnia dicta mea forsitan etiam condemnari illius iudicio. Diu idcirco haerebam, an sententias de febre intermittente in lucem proferrem, nec no. Sed sublatum est illud dubium, neminem iure de iuveni doctorando nimium expectare nec posse, nec velle. Tum quoque observatio octanae, quae rarissime obvenit, admodum me incitavit, consilium-

que firmavit meum. Occasionem hanc mihi datam libenter arripui, ut verba nonnulla adicerem ad volumina, quae temporibus nostris scripta sunt de morbo, quo pars Europae magna laborat hucusque ex annis aliquot. Raro enim febris intermittens maiori studio persecuta est in patria nostra, quam ex illo tempore.

Febris intermittens regulari mutatione omnium symptomatum, ei adnexorum, sese manifestat, atque intercurrente apyrexia ab omnibus aliis febribus bene est separata. Nullus fere datur morbus, in quo norma haec tam fixa, tam distincte esset expressa. Frigus, calor, sudor, ordine nominato se excipientia paroxysmum formant, quorum absentia apyrexia significatur. Symptomatum horum ordo typus nominatur, qui vel regularis esse potest, vel irregularis. Regularis sensu strictiore nobis praebet typum periodicum.

#### DE TYPO PERIODICO IN GENERE.

Quo magis organismus aliquis a momentis externis determinatur, et vi vitali caret ad gerendam vitam egoisticam, eo magis quoque mutationibus externorum est obnoxius. Hac

autem ex causis planetaribus terrestribusque ortum ducunt, et hinc lege quasi mathematica stringuntur, uti hoc regulari sequentia diei et noctis, aestatis hiemisque, et multis aliis est videndum. Necessarium fuit, tot sidera, tot terras legi subiicere fixae, ne motibus contrariis se invicem perturbarent. Omnes actiones ab illis determinatas, iisdem premi debere legibus, facile apparet.

Regnum minerale vi egoistica tantopere est destitutum, ut nonnisi legibus subordinetur physicis. Fossile quodlibet actu creationis pondere proprio praecipitabatur et tantum conditionibus remotis impediens, crystallisatione manifestare licuit vitam inhaerentem.

Plantae vi vitali gaudent maiori gradu et vitam magis egoisticam transigunt; sed terrae adhuc infixae terrestri quoque influxui obediunt. Voluntate carent, quamquam motus actu fructificationis nonnullarum plantarum observatos hanc simulant. Radices terra retinentur, partes ceterae trahuntur ad solem. Haec alta plantarum dependentia planetae nostrae omnibus ipsarum actionibus eandem committit fixam, mathematicam legem, qua ipsa tenetur. Qua

ex causa nullibi typum periodicum invenias strictiorem, quam in regno vegetabili et in functionibus plantarum omnibus. Cyclus plantae certis et praecisis includitur limitibus. Illa oritur, crescit, floret, maturescit atque moritur, et haec omnia plerumque aestate una eademque et secundum normam certam. Ver et autumnus vitae imponunt limites arctos. Cyclus hic vitae magnus sese reiterat fere quolibet actione plantae vitali minori. Certo tempore foliis ornata est arbor et privata. Flos sese aperit et claudit in multis eadem semper hora et ita terrae solisque cursu determinantur, ut tempestas aliaque momenta obnoxia nullam exercere possint vim in hac functione. Exoritur inde notissimum horologium florale. Ne omnes plantarum functiones, in quibus typus periodicus est manifestus, repetam, cum omnes idem idemque demonstrant, sufficiat annotare: Regnum vegetabile purissimam repraesentare typi periodici imaginem.

Protozoorum genus plantis arcte adnexum ortumque maxima parte e dissolutione organicae materiae ducens, eadem respectu typi periodici ostendit phaenomena. Exoriuntur et

moriuntur cum illis plurimae. Aestas producit, dissolvitque hiems. In functionibus periodicum typum illarum immittantur, uti distincte in genere volvocum videre licet. Gradum perfectibilitatis magnum assecuta animalia sese eripiunt terrae et vi solis, quo modo typo periodico stricto liberantur. Quod vero gradatim nonnisi fieri potest. Idcirco aves defoliationem dejectione pennarum autumnali (*Mauser* dicta) imitantur; imo aves migrantes plantarum imaginem caducarum prae se ferunt, cum tempore aliquo certo oculis se eripiunt nostris et certo iterum se nobis offerunt reversas. In animalibus perfectioribus typum periodicum illum nonnisi in sexuali functione reperimus et in illis functionibus omnibus, quae ad vitam vegetativam (productivam et reproductivam) pertinent. Animalia illa, quae per hiemem somno sunt oppressa, vitam plantae reddunt modo distinctiore.

Homo, maxime remotus a regno vegetabili, in functionibus suis quoque maxime caret typo periodico.

Cum inde, uti ex omnibus his apparet, typus periodicus praeponderare solet, quo ma-

gis organismus aliquis tendit ad regnum vegetativum, illum haud omnino deficientem quoque in functionibus animalium perfectiorum invenire debemus, quae factori vitae respondent vegetativo. In organismo humano factori vegetativo in organis assimilationis sedes committitur; qua ex causa, cum Gangliorum systema his praesidet, nervos illos praecipue ad vitam vegetativam pertinere, nemo potest dubitare. Facile inde videndum, omnes functiones, quae regimine systematis Gangliorum premuntur, aliquid periodici in se habere, necessarium esse. Et vere hoc animadvertendum est in plurimis organorum abdominalium functionibus. Sic deiectiones alvinas facile certo tempore peragi notum est, cum intestinum rectum, functioni huic praepositum, a nervis e plexu mesenterico et hypogastrico dirigatur. Quod vero clarius demonstrat menstruatio, intermissionibus accurate distinctis, quae plexu uterino est determinata. Uti hoc in organismo sano, ita multo magis in morbose sese manifestat, si systema Gangliorum afficitur. Qua ex causa tussis convulsiva, nec minus epilepsia ex abdomine orta typo utuntur intermittente. Prae ceteris autem

febris intermittens affectione specifica quadam Gangliorum abdominalium exoritur; hic causa, hic sedes. Multa sunt, quae hoc demonstrant et quae repetere haud necessarium puto, cum auctores multi idem deducere sunt conati.

Sedes febris intermittens systema est Gangliorum et quidem abdominalium. Quousque vero sese extendit illa affectio? Numplexus omnes vel nonnulli sunt correpti? Quaeenam harmonia inter hanc affectionem et febres intermittentes invenitur diversas? Quaestiones, revera attentione dignissimae et hucusque, quantum scio, et uti mihi videtur haud bene solutae! Licebit inde mihi, cogitationes meas hoc loco in lucem proferre, quoad observationibus studio persecutis praecipuo, concludere didici.

Si nervi Gangliorum, qui respirationi praesunt et inde ad sympathicum maximum maiori ex parte pertinent, affecti sunt, tussis periodica, quam convulsivam vocant, exoritur. Si affectio est altior, quam quae occupare possit diaphragma, asthma periodicum vel Millari se ostendit. Discrimen ergo inter tussim convulsivam et asthma Millari non nisi sede datum est, cum affectio eadem morbum efficit utrumque, et

symptomata secundum functionem partium affectarum diversam nonnisi diversa obveniunt observatori. Probandum vero mihi quidem videtur, ab affectione nervi sympathici maximi, quantum ad diaphragma pertinet, tussim convulsivam et quantum ad glottidem, tracheam et bronchos pertinet, asthma Millari provocari. Parva affectionis extensio, et connexio minor huius cum vasorum systemate, febrem exoriri vetat, quae esset certe intermittens, et quidem servans typum paroxysmi tussis et asthmatis. Sicut vero nervi e sympathico maximo ori functiones ad respirationem spectantes, regunt, sic plexus abdominales functionibus organorum abdominis sunt praepositi. Alterationes horum ergo quoque alterationes in assimilationis organis protrahi necesse est. Uti vero in pectore affectio superior, vel inferior nervi sympathici, morbos efficit diversos, quamquam nonnisi symptomatibus et non revera, sic in abdomine alia oritur febris intermittens, quout pars superior vel inferior plexuum abdominalium est affecta. Si plexus coeliacus (saltem praecipue) solus affectione illa specifica corripitur, nonnisi febris intermittens quotidiana oriri potest. Ob

coniunctionem cum nervo vago, splanchnico et sympathico fere semper simul cum febre quotidiana symptomata affectionis organorum pectoris inveniuntur. Dolores pleuritici, tussis, respiratio inaequalis, anxia, palpitatio cordis et multa alia phaenomena, statum morbosum viscerum pectoris demonstrantia, comitari solent quotidianam. Dolores dorsales usque ad scapulam progrediuntur, haemoptysis haud rara. Vomitus non semper apparet. Quod intermittens haec facile et saepe noctu ingredi solet, uti tussis convulsiva et asthma Millari, mihi affectionem nervi sympathici maximi simul reddit verisimilem. Vomitus in quotidiana, sicut in tussi convulsiva non semper, sed saepe intrat, et sic demonstrat, partes affectas in morbo utroque iuxta se esse positas et forsitan commisceri. Inde asthma Millari, tussis convulsiva et quotidiana noctu facere solent paroxysmos.

Tertiana febris e maiore affectionis extensione versus partes inferiores plexuum abdominalium ducit originem. Etenim status morbosus e coeliaco ad mesentericum progreditur plexum superiorem. An hic, an occupatur totus plexus coeliacus, qui in quotidiana semper

erat correptus, quod idem est; tantum facile observari potest, partes laesas in tertiana extensione gaudere maiori, quam in quotidiana. Dolores se ad hypochondria extendunt. Vomitus vehementior saepiusque apparet, sensatio pressionis in abdomine ambitum occupavit maiorem. Facile hoc videbis, si aegrotos duos, unum febre quotidiana, alterum tertiana laborantes alternatim observare velis et examinare.

Evidentius nobis apparet in quartana. Affectio sine dubio ad plexum progressa est mesentericum inferiorem. Ad symptomata iam iam nominata adhuc in inferioribus abdominis partibus dolor, anxietas, sensatio pressionis sese associant. Functiones huius regionis excretoriae magis sunt perturbatae. Excretio alvi retardata et urinae saepe alienata ob nervos huic functioni praepositos affectos. Pressio, dolor in regione mesogastrica usque ad hypogastricam et latera adiecta, uti lumbalia atque iliaca progredientes nunquam deesse solent, et facile loca affecta nobis indicant accuratissime. Sed et in hac febre symptomata quotidiana et tertianae distincte adsunt, ita, ut extensio affectionis maior facile appareat observanti.

In octava praecipue partes abdominis inferiores observavi affectas. Dolores in inguinibus et osse sacro usque ad anum. Sensatio spastica in urethra, alvus tardissima, ischuria completa, ut credere liceret, plexus haemorrhoidales et vesicales morbo esse correptos. Symptomata vero illius paulopost adnotabo, quae ergo hoc loco transire licebit.

Ex observationibus his omnibus studio et cura persecutis, persuasum me habeo, typum febris intermittens maiore vel minore extensione affectionis illius in systemate gangliorum produci. Ut paucis dicam: Quo maior pars gangliorum affecta et quidem extensione, eo maiora spatia inter paroxysmos. Si pars minor est affecta, febris erit quotidiana, si pars maior, tertiana aut quartana et sic porro. Ex his quoque intelligendum est, cur quotidiana facilius, tertiana vero et quartana difficilius sanandae. Intensitas affectionis maior non nisi paroxysmum reddit vehementiorem.

Paroxysmus ipse explosio esse videtur, qua differentia, in nervis affectis exorta, perducitur ad indifferentiam. An illa actionis electricae similis sit, nec ne, parum interest.



Hoc elucet observanti, in parte minori affecto-  
rum nervorum etiam minore tempore differen-  
tiam, ad explosionem necessariam produci posse.  
Quo altiori parti nervorum inhaeret morbus,  
eo angustioribus clauditur terminis, et inde eo  
brevior est cyclus, paroxysmum apyrexiamque  
continens. Videmus hoc facile in tussi con-  
vulsiva, quae sedem posuit in nervis ganglio-  
rum, qui pertinent ad pectus. Inde pars parva  
occupata est, et inde quoque paroxysmus sae-  
pius apparet, quam in febre intermittente, cuius  
sedes iam inferior est, et extensior.

Febris intermittens *duplicata* exoritur, si  
factores explosione illa (paroxysmo) haud re-  
ducantur ad plenam concordiam, et tum tem-  
pore aliquo praeterlapso explosio secunda non  
tam vivido efficitur nisu, qua saturata datur  
indifferentia. Hinc paroxysmus alter semper mi-  
tior, viribus plerumque explosione priore par-  
tim haustus. Sic observationibus probandum.

An vero febris intermittens *duplex* existat,  
quaestio non distincte solvenda. Scriptores de  
haec re dicunt, febrem adesse duplicem, si ipsis  
obveniunt paroxysmi, congrui cum febribus  
pluribus, vario intransibus temporis spatio, cum

prius una nonnisi se manifestaverat febris. Par-  
oxysmos inaequales hanc demonstrare putant  
transformationem. Sed non semper in talibus  
febribus paroxysmi inveniuntur inaequales. Quid  
autem respondendum, si quotidiana progreditur  
in tertianam? Phaenomenon revera haud ra-  
rum! Si hoc vero non alio modo, nisi maiore  
affectionis extensione explicari potest, uti de-  
monstrare tentavi, cur non est credendum, af-  
fectionem illam nervorum gangliorum conditio-  
nibus faustis ad minorem retrahi partem et sic  
e tertiana fieri posse quotidianam? Attamen  
facile vides, hoc difficilius esse, et inde rarius  
obvenire solere. Observationibus autem hoc  
magis est eruendum, quae cum mihi in tali  
copia desint, qualis necessaria est, libenter trans-  
ibo investigationes plures, et me vertam ad  
therapiam febris intermittens.

Gangliorum nervi, uti iam commemoravi-  
mus, feбри intermittenti committunt sedem; sy-  
stema illud alienatum est. Quod cum organa  
assimilationis regit, haec quoque in functione  
perturbentur necesse est. Hinc plerumque simul  
cum feбри intermittente sordium adsunt sympto-  
mata. Lingua muco oblecta, vomitiones vo-

mitusque existunt, ut credendum sit, ingesta adesse vera. Qua ex causa cavendum est, ne culpam iniicias in ciborum qualitatem, quae nonnisi in organis assimilationis est posita. Sordes istae plerumque secretionem alienata sunt producta, et ingesta fortuito possunt accedere.

Quae veritas vim magnam in therapiam febris exercet intermittens. In plurimis casibus inde aegroto dabis frustra vomitivum, quamquam adsint quoque lingua oblecta et vomituritiones. Lingua sordida significat secretionem perturbatam et vomituritio vim nervorum gangliorum alienatam. Quid inde adjuvant vomitiva? Sordes vix eiectas sequuntur secretionem turbata adhuc perdurante novae sordes. Si ergo ob nullam aliam causam porrigere vis vomitivum, quam evacuandi gratia, tum nusquam erit necessarium, quam quo revera invenias ingesta, quae assimilatione iam debilitata haud sunt subigenda. Si sordes nonnisi secretionem alienata ortae sunt, vomitiva plane contraindicationem praese ferunt. Nam operatione illa organa debilitata magis adhuc debilitantur. Quamobrem vomitiva tam generaliter in febre intermittente adhibere, mihi incongruum esse videtur,

si causa proxima bene est perpensa. Si adsint ingesta vera, nullus erit, qui carere velit vomitivo. Nam illa non solum assimilationi, sed ipsis medicamentis necessariis contraria sunt, et eorum resorptionem omnino prohibent.

Organis his, uti iustum, liberis, tempus adest ad remedia idonea adhibenda. Multa sunt, quae uti febrifuga laudabantur a medicis. Sed omnia nonnisi accuratiore respectu causae proxima eligenda sunt et multa, quamquam auctoritate quadam magna introducta, attamen sunt reicienda. Nervi gangliorum, uti iam saepius annotavimus, modo primario sunt affecti. Omnia assimilationis organa igitur, quibus praesunt, modo secundo erunt alienata. Indicatio inde prima respicere debet assimilationis organa in statum elevare illum, quo idonea reddantur ad absorbenda remedia et nutrimenta. Necessarium est, primo, vitalitatem nervorum reducere in statum priorem sanum, secundo, his remediis addere febrifuga sic nominata. Sed nonnisi ea sunt eligenda, quae simul vim assimilationis augere valent, ut recidiva prohibeantur. Nam haec febrifugis omnibus haud sunt praecavenda, et iis nonnisi remediis confiden-

dum est, quae roborant assimilationis organa, nervorumque augent vitam ad reiiciendos influxus novos perniciosos. Sanatio enim febris intermittens non solum paroxysmi suppressione febrilis consistere potest, sed unico in eo, ut causae omnes hanc facientes plane tollantur. Ea ex causa cortex chinae ipse, id refugium veterum medicorum fere unicum, hoc egregium febrifugum male sanare valet febrem intermittentem. Opportunitas semper perdurat et recidiva haud praecavenda. Cortex enim natura gaudet nimis indifferente, quam ut nervis gangliorum aliquid amici praebeat. Nec minus assimilationis apparatus roborare valet, uti est necessarium. E contrario cortex chinae his organis inimici aliquid in se habet, et, uti notum, primae viae debilitatae aut sordidae semper contraindicant chinae corticem. Nisi esset inde vis febrifuga huius tam excellens, certe nunquam tollere valeret paroxysmum. Quibus ex causis quoque post adhibitum corticem tam facile redit febris fugata. Nam paroxysmum suppressere, nondum est febrem sanare.

Ex his omnibus facile est intelligendum, primo remedia volatilia, diffusibilia, ad nervo-

rum vitam tendentia, admodum esse necessaria, cum sola tollere valeant affectionem primitivam. Multa sunt, quae hoc modo se ostendunt medico, nec necessarium est, his inesse vim febrifugam. Si vero remedium invenias, quod hanc duplicem exercere vim valet, tum res melius se habet et effectu certiore hoc est eligendum. Secundo autem attentio praecipua ad organa assimilationis est dirigenda, quae etsi modo deuteropathico, attamen sunt laesa. Qua ex causa his remediis diffusibilibus talia sunt addenda, quae functionem augent assimilativam. Nam si quoque nervos primarie affectos reduxisti ad statum priorem, attamen factor irritabilis tarde sequitur et hoc tempore recidiva perpetua sunt expectanda. Necessarium ideo est, coniungere cum volatilibus tonica amara. Facile autem est medico, eligere talia, quae duplicibus his gaudent virtutibus. *Aromatica* et multa alia hinc sunt annumeranda. Laudanda est praeter ceteris radix cariophyllatae. Quae non solum virtute aromatica excellit, sed etiam vi quadam febrifuga. Tum calamus aromaticus est nominandus, remedium egregium ad tollendam febrem intermittentem. Si vero eligere velis her-

bam trifolii fibrini, corticem quassiae, herbam absinthii, radicem gentianae et talia similia, quae substantiis abundant amarissimis, sed parum aut nihil aromatici secum ducunt, semper diffusibile aliquid est admiscendum, ut factor sensibilis aequo modo respiciatur et irritabilis. Tonica pura haud conveniunt, uti experientia docet. Multa sunt, quae medicus, individualitate aegroti ductus, eligere et combinare potest gradibus diversis. — Tertio his vero pharmacis, quae ad primitivam laesionem spectant addenda sunt vera febrifuga, ut brevi tempore cesset paroxysmus. Quae quidem haud sunt necessaria, atque febris intermittens certe tollitur, si indicationibus duabus prius dictis sufficiatur. Sed hoc non nisi longiore temporis spatio possit fieri et inde, ut iucundo modo et cito evanescat morbus, febrifuga sensu strictiori sunt addenda. Ut ergo omnibus satisfacias indicationibus ad sanandam febrim intermittentem, nervina, amara et febrifuga sensu strictiore sunt commiscenda. Hac combinatione facta certe quamcumque sanabis febrim intermittentem. — Si autem desorganisationes viscerum abdominalium vel aliae adsunt complicationes, hae, uti

iustum, respiciendae et secundum characterem pharmaca sunt modificanda.

His generalibus sententiis de febris intermittens indole et sanatione ad lucem prolatis, iam observationem octavae narrabo. Me autem non fugit, haec additamenta ad theoriam febris intermittens forsitan hypothetica videri posse medicis nimis hippocraticis. Si autem lineamenta haec comparantur cum observationibus auctorum, facile inveniri potest, multa adesse, quae probant opiniones meas et certificent eas. Quod autem pertinet ad therapiam, facile intelligenda est veritas regularum, quae omnes praxi confirmantur. Inveniuntur apud auctores remedia omnia, etsi vage laudata, quae ego distinctiore proponere conatus sum indicatione.

## OBSERVATIO

*febris intermittens octanae.*

V. D., femina circa quinquaginta annos nata, iam dudum morbo arthritico laborans, plerumque fere diversis symptomatibus, ad illud malum spectantibus, lectum servare est coacta. Sed parca nonnisi nutrimenta sibi vindicare potest, qua ex re iam diu carebat omni vigore. Temperamento gavisata est cholericum, nec constitutione praedita fuit firma. Ceterum sana hucusque et nunquam prius febre laboraverat intermittente. Auctumno 1829 per hebdomadem totam se relaxatam, appetitu carentem sentit et talibus symptomatibus vexata, morbum expectavit arthriticum more consueto. Sed subito die Veneris vespertino tempore hora septima horripilationibus multis correpta est et frigore. Sensationes frigoris et horripilationis ab infima ossis sacri parte exortae versus vertebrae spinalem usque ad scapulam se extendebant. Hora una praeterlapsa exortus est calor, et quidem gradu vehementiore. Dolores capitis multi, sitis insatiabilis, inquietudo inconsueta. Perdurabat sta-

tus hicce usque ad horam undecimam noctis, quo tempore sudore largo est solutus. Mox somnus omnes involvebat molestias. Altero die expergefacta liberam se sentit, atque magnopere est gavisata, morbum arthriticum consuetum paroxismo uno finitum esse sperans. Laxitas membrorum omnium et alteratio appetitus remanserunt. Octava die (Veneris) tempore vespertino hora septima horror est reversus. Omnes sensationes, dolores ordine, uti in paroxismo primo, sese monstraverunt. Calor sudorque secuti sunt, uti antea. Talis paroxysmus his adhuc reductus est, hora dicta et cum tempore intermedio ipsi obvenerunt nulla alia morbi symptomata, suspicata tandem est, quatuor jam praeterlapsis paroxysmis, femina, febre se invasam esse intermittente. Quintum videre et observare paroxysmum, mihi data est occasio.

D. de doloribus magnis, non solum per totum abdomen vagantibus, sed etiam praecipue in inguinalibus regionibus propinquis fixis est conquesta. Paroxysmo quolibet dolores maximos in inferiore abdominis parte se sensitisse dixit. Ructus, vomitiones vomitusque adfuerunt. Doloribus capitis maiore gradu fuit

affected, calor vehemens et sudor largus etiam huic paroxysmo finem imposuere. Tempore frigoris pulsus fuit parvus, frequens, urina limpida et pauca, sine omnibus criseos alicuius indiciiis. Facies pallida, anxietas in scrobiculo cordis, horror in omnibus artubus et praecipue in vertebra per totam extensionem. Hora una circiter praeterlapsa calor subsecutus est frigus. Pulsus plenitudine crevit, respiratio facta est longior, tardiorque paulisper. Facies urinaque rubra, deliria pauca apparuerunt. Calor usque ad dimidium noctis durans solutus est sudore.

Si nunc omnia symptomata comparare conamur cum illis, in febribus tertianis et quartanis obviis, certe perspicuum esse debet hoc casu, sententias de origine diversarum febrium intermittentium propositas magna gaudere verisimilitate. Nam, uti dictum, extensio maior affectionis in nervis gangliorum quoque febrem apyrexiiis producit longioribus. Inde in hoc casu totum abdomen a diaphragmate usque ad inguina fuit morbo correptum. Apparet quoque ex his, quartanam tertiana esse rariorem et octanam rarissimam. Nam functio assimilationis est vigentissima fortissimaque in parte

superiore, qua ex causa quoque hoc loco irritamentum quodcumque vel deprimens neutralisatur, ne ad partes tendere possit inferiores. Sic et illa vis seu materies specifica facile nervis organisque superioribus subigitur, ne progrediatur ad partes plures. Haec extensio maior affectionis quoque sanationem octanae reddit difficiliorem. Cum tractus intestinorum totus est alteratus et debilitatus, facile inde sordes et in superioribus et in inferioribus partibus colligantur necesse est. Itaque vomitiva simul et laxativa remedia erunt necessaria, ut tractus totus sordibus, supra et infra turgescens, liberetur. Sed cavendum est, ne adhibeantur laxantia debilitantia, uti salia neutralia. Factor irritabilis totius tractus simul cum sensibili est debilitatus; eum elevare necessarium est ad sanandam febrem intermittentem. Salia neutralia autem nervis musculisque aliquid contrarii habent atque inimici. Eligenda ideo sunt talia medicamenta, quae vim laxativam conjungunt vi roborante. Praecipue hic Rheum est laudandum, quod in casu proposito fausto successu adhibitum est. Quo dato, mixtura ex infuso-decocto radicis coriophylatae cum chi-

nino (gr. XV.) et extr. trifolii fibrin. et spirit. sulphur. acth. (aa ʒj) aegrotae est praescripta. Paroxysmus, sumta hac portione, non est reversus. Febre sublata medicamenta data sunt nonnulla ad reducenda organa ad statum priorem; et quidem amara erant quibus addita fuit parva chinini dosis, ne oriri possit febris recidiva. Praecipue haec data sunt qualibet die Veneris et hoc modo plena perduravit sanatio.

## VITAE CURRICULUM.

Ego Fridericus Guilelmus Pieper, confessioni catholicae addictus, natus sum Istrup, pago Guesstphalico, die XXVII. mensis Iunii anno MDCCCVI., patre Guilelmo Antonio Pieper, matre e gente Benninghausen, utroque superstite, pietateque maxima colendo. Prima litterarum rudimenta sub vici parochi auspiciis edoctus, anno MDCCCXXIII. Padi-bornam Gymnasii Theodoriani aulas frequentaturus me contuli. Quatuor postea annis Gymnasio atque examine abiturientium absolutis, sub alas academiae Georgiae Augustae Göttingam properavi, ibi a Cl. Bergmann t. t. prorectore Magnifico in civium academicorum numerum sum receptus. Illic professorum III. praelectiones per semestre frequentavi hasce: Historiam naturae Cl. Blumenbach, Chemiam experimentalem Cl. Stromeyer, Anatomiam Cl. Langenbeck, Osteologiam Cl. Hempel. Tum semestre sequente Halam sum profectus, ubi Physiologiam cum Anatomia comparata

Cl. Meckel, Botanicae Cl. Sprengel, Mineralogiam et Geologiam Cl. Germar me docuerunt. Qua relicta Bonnæ per annum frequentavi auditoria: ubi Cl. a Walther de pathologia et therapia morborum chirurgicorum, de operationibus et instrumentis, nec non de oculorum morbis rite cognoscendis et curandis, Cl. Naumann de infantum morbis, Cl. Müller de Pathologia generali et de semiotice, Cl. Noeggerath de geognosia, Cl. a Münchow de Physicæ experimentalis, Cl. van Calker de logica et psychologia audivi disserentes. Deinde per annum sequentem Heidelbergæ interfui praelectionibus: Cl. Tiedemann de anatomia et physiologia, Cl. Naegelè de arte obstetricia, Cl. Chelius de ophthalmiâ, Cl. Puchelt de pathologia et therapia speciali. Atque mihi duces erant Cl. Tiedemann et Cl. W. Arnold in dissecandis cadaveribus, Cl. Naegelè in exercitationibus artis obstetriciæ clinicis practicis, Cl. Chelius in chirurgicis, Cl. Puchelt in medicis. Denique adivi Berolinum, ubi Cl. Hermbstaedt pharmaciam, Cl. Hecker historiam medicinae me docuerunt. In exercitationibus clinicis chirurgicis Cl. a Graefe, in medicis Cl. Bartels mihi moderatores exsistere.

Ob causam vero nunc me admodum urgentem Summus Magistratus Rerum Sacrarum ac Medicarum et Institutionis Publicae veniam exoptatam

clementer mihi dedit, quadriennio nondum finito, libere atque impeditè ingredi in examen rigorosum.

Iam nunc tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoro rite absolutis, spero, fore ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina ac chirurgia honores in me conferantur.



---

**THESES DEFENDENDAE.**

---

**I.**

*Tussis convulsiva et febris intermittens morbus idem et nonnisi sede diversus.*

**II.**

*In medenda febre intermittente arsenicum minime adhibendum.*

**III.**

*Ligatura vasorum torsioni omnino praeferenda.*

**IV.**

*Venas resorbere contendo.*

**V.**

*Ulcus prominens remediis pharmaceuticis sanari non potest.*

---